

generativi, vel ex parte personæ cum qua consummatur iste actus: ex diverso enim abusu circa utramque personam diversa oritur deordinatio luxuriæ. Ex parte personæ generandæ, abusus luxuriæ vel totaliter impedit ipsam generationem ex vi actus, quod ex ponere impedimentum physicum ipsi generationi in resolutione seminali, vel solum impeditur debita educatio prolis, licet non generatio physica, quod est impedimentum morale prolis generandæ. Si primo modo fiat, est peccatum contra naturam. Et dicitur contra naturam, quia physice et naturaliter impedit generationem in abusu seminis, et sic opponitur etiam ipsi naturæ sensitivæ, et habet tres species hoc peccatum contra naturam, scilicet bestialitatem quando fit coitus cum vivente alterius speciei: et sodomiam, in qua solum variatur sexus intra eandem speciem humanam: et mollitiem, quæ sine accessu ad alterum, semen resolvit, et hoc est peccatum mortale, ex suo genere, tam in masculo, quam in femina, quia in utroque seminalis humor, ejusque resolutio ad solam generationem ordinatur, licet principalius, et activius semen virile. Si autem non impeditur physica generatio prolis, sed solum debita educatio illius, quia scilicet parentes non se obligant ad convivendum simul pro educatione prolis, cum tamen per se requiratur in specie humana, quod ab utroque parente proles educetur, sic est simplex fornicatio, cujus peccati malitia ex eo solum desumitur, quia ex tali generatione fit damnum proli, quia illi qui sic conveniunt ad generandum constituunt se naturaliter parentes, et nolunt se constituere naturaliter educatores nolendo se obligare ad educandum in quantum parentes, quia possunt ad invicem discedere. Et licet aliquis velit prolem sic sus-

ceptam educare, et alere, quia tamen id non facit ex obligatione mutua utriusque parentis, sed ex propria voluntate non excusat actum illum, qui naturaliter constituit parentes, et postulat mutuo esse educatores. Si vero deordinatio luxuriæ fiat, non solum ex parte prolis generandæ, sed etiam ex parte personæ, quæ ad generationem assumitur, resultant diversæ species luxuriæ, nam vel assumitur persona, cui debetur specialis reverentia sicut est consanguinea, et sic est incestus; vel persona, quæ est in alterius potestate, quæ quidem si sit in potestate alterius quantum ad conjugium resultat adulterium, quod facit injuriam conjugii. Si autem sit in potestate alterius quantum ad custodiam virginitatis (naturaliter enim femine virgines custodiuntur usque ad matrimonium, quia virginitas est dos naturæ in feminis, ut distinguitur a dote ex bonis fortunæ) et sic est stuprum. Si autem sit persona, quæ est in alterius potestate quantum ad consecrationem, et votum factum Deo sic est sacrilegium. Quod si addatur violentia, qua extrahatur femina ab eo in cujus est potestate, dicitur raptus. De istis ergo agit quæstione CLIV.

Explicatis partibus subjectivis temperantiæ, agit Divus Thomas de partibus potentialibus illius, quæ sunt tres, scilicet continentia, clementia, et modestia. Continentia sumi potest dupliciter; uno modo pro refrænatione ipsa passionum ad venerem, et sic est idem, quod castitas. Alio modo pro resistentia rationis, ad passiones insurgentes, et sic sumitur in præsentia, et est aliquid imperfectius temperantiæ, et quasi secundarium objectum respectu illius, quia non refrænatur passiones, sed detinet rationem ne a vehementibus passionibus dedu-

catur, et sic continens habet minus efficacem vim rationis, quam temperatus, quia non extenditur ad demandandum appetitum, sed patitur in eo vehementes passiones, sed refrænatur ne deducatur ab illis; unde non potest aliquis simul esse continens, et temperatus in actu, sed solum in habitu. Et quia vehementissimæ sunt passiones concupiscentiæ circa cibos et venerea, ideo continentia circa illas est continentia simpliciter. Et de hoc agit quæstione CLV.

De vitio illi opposito, quod est incontinentia, agit quæstione sequenti, quæ etiam pertinet ad voluntatem sicut ejus contrarium, quod est continentia, eo quod permittit voluntatem duci a passionibus, nec firmat contra illas quando iusurgunt. Unde incontinens non peccat ex habitu voluntatis, sed ex passione insurgente circa quam non facit resistentiam, et quia incontinens solum assuevit peccare ex passione, non vero ex habitu, et malitia, passio autem quamvis frequenter vincat, non tamen habituatur voluntatem ad eligendum, sed solum relinquit illam dispositam, ut non resistat passioni, sed ducatur ab illa, ideo ex frequentatis actibus incontinentiæ, non generatur habitus, sed dispositio prava voluntatis, cujus signum est, quod voluntas non firmatur erga objectum pravum, sed potius transacto actu et passione incontinens sentit pœnitentiam, immoderatus autem non, quia habet habitum eligendi prave, non autem solum dispositionem non resistendi. Et sic de incontinentia agit quæstione CLVI.

Secunda pars potentialis temperantiæ est clementia, et mansuetudo ad quas pertinet refrænare iram in ordine ad malum alienum, non tamen in materia principale temperantiæ, quæ est concupiscentia. Differt autem mansuetudo, et cle-

mentia, quia clementia habet pro materia mitigationem pœnarum, præsertim legalium intra limites tamen justitiæ, et ideo est superioris ad inferiorem, et maxime decet principem: mansuetudo autem moderatur iram, ut illativam mali, non autem pœnas legis, et ideo mansuetudo proprie versatur inter æquales. Et de istis agit quæstione CLVII.

De vitiis autem oppositis istis virtutibus agit duabus quæstionibus sequentibus. Et primo, agit de vitio opposito mansuetudini, quod est iracundia, quæ per excessum opponitur mansuetudini, nam per defectum opponitur aliud vitium inordinatum, scilicet defectus iræ, quando etiam cum causa rationabili aliquis non vult irasci. Et quia vindicta est valde appetibilis, utpote valde satiativa, ideo habet rationem finis propter quem multa alia fiunt, vel non recusantur, ideoque est vitium capitale. Habet autem plures species in ratione peccati, licet ira quæ est passio sit ejusdem speciei, eo quod ex diverso motivo aliqui moventur ad vindictam, alii enim dicuntur acuti, qui accelerant motum iræ ex vindicta repentina apprehensa; alii dicuntur amari, quia nimiam tristitiam concipiunt ex injuria, et quasi felle replentur, et ex hoc motivo excitant iram. Alii denique dicuntur difficiles, quia apprehendunt vindictam ut satiativam et sic nimis afficiuntur ad illam, et difficile removentur. De his ergo agit quæstione CLVIII.

De vitio autem opposito clementiæ agit quæstione CLIX. Est autem crudelitas, qua quis habet animum crudum, et non levem in mitigandis pœnis propter culpas. Quod si excedat in ista crudelitate gaudente de cruciatu aliorum propter delectationem de pœnis dicitur feritas, seu sævitia, quia in hoc bestiis

assimilatur homo, et de his agit quæstione CLIX.

Tertia pars potentialis temperantiæ est modestia. Et licet aliqui nimis ample accipiant modestiam pro moderatione omnium actuum interiorum, vel exteriorum præter delectationes tactus: alii autem nimis stricte accipiant modestiam pro sola moderatione actuum exteriorum: tamen Divus Thomas accipit modestiam media via, prout complectitur moderationem circa omnes actiones quæ ordinantur ad compositionem, et maturitatem, et sic complectitur aliquas actiones interiores, et aliquas exteriores, dividiturque a Divo Thoma in quatuor species, quia quatuor sunt in quibus homo maxime compositionem, et maturitatem ostendit, non erga malum alienum, sicut clementia, et mansuetudo, sed circa proprias actiones. Primum est in appetitu excellentiæ, quo aliquis vult supra alios efferri, et non tenere locum suum, et ita maxime tollit ordinem, et compositionem si nimius sit. Secundum est in appetitu curiositatis vanæ circa cognitionem rerum præsertim sensibilium, hoc enim maxime solvit interiorem compositionem, et divertit a gravitate negotiorum. Tertium est circa actiones exteriores sive ludicras in quibus maxime relucet hominis compositio, et gravitas. Quartum est circa apparatus exteriorem, et ornatum personæ, in quo maxime dominatur luxus, et ita maxime indiget compositione, et modestia. Ei circa primum versatur humilitas. Circa secundum studiositas. Circa tertium in rebus ludicris versatur eutrapelia, in seriosis bona ordinatio. Circa quartum versatur ornatus. Sic ergo agit de modestia in communi quæstione CLX.

Exinde vero agit de speciebus modestiæ ordine posito. Et primo, de humilitate. In qua considerat

primo ipsam virtutem. Secundo, vitium oppositum, quod est superbia. Tertio, specialiter de superbia primi hominis, et pœnis ipsam consecutis. Circa humilitatem ostendit proprium motivum humilitatis, et moralitatem; ejusque vim in refrænando, et detinendo motum in honores improportionatos ex consideratione priorum, ex quo etiam facit æstimare se indignum eo honore quo dignus est absolute, et in re, quia vere æstimat se indignum honore quem habet, quantum est ex parte proprii defectus, licet ex parte donorum Dei non æstimet se indignum, nec deiciat animum. Unde motivum humilitatis maxime oritur ex reverentia, et subjectione ad Deum et ad alios homines, comparando ad illos, defectus proprios, ex quibus considerat se indignum. Unde magnanimitas, et humilitas versantur circa idem, scilicet circa honores proportionatos, sed ex diverso motivo, magnanimitas quasi ascendendo, et impellendo ad magnos honores, proportionatos tamen secundum dona Dei, et perfectiones proprias; et secundario reprimat honores improportionatos, non quidem ex consideratione defectus proprii, ut humilitas, sed ex comparatione honoris improportionati ad proportionatum. Humilitas vero quasi descendendo in consideratione proprii defectus reputat quidem se indignum omni honore quantum est ex vi defectuum, sistit tamen in honore proportionato sibi, non deiciendo animum ultra id quod sibi debetur quantum est ex parte donorum Dei, et ita procedit refrænando, et ponendo modum in motibus tendentibus immoderate in excellentiam. Et ideo, quia materia refrænationis ejus non est delectatio tactus, quæ est principalis materia temperantiæ, sed excellentia propria, ideo est pars potentialis temperantiæ. Ex parte

tamen motivi ex quo procedit, scilicet ex reverentia divina respectu cuius recognoscit proprios defectus, excellentior est reliquis virtutibus moralibus. Unde etiam resultat maximus profectus, scilicet quod homo subjiciat se omni ordinationi rectæ, quia respectu nullius regulæ se æstimat excellentiorem. Et sic agit de humilitate quæstione CLXII.

Secundo, considerat vitium oppositum, quod per excessum est superbia, per defectum vero nimia abjectio, quando quis applicat se ad vilia, etiam ultra quam decet virtuosum, etiam secundum dona Dei. Superbia autem directe opponitur humilitati ex parte motivi ejus, tum ex parte materiæ circa quam versatur, tum ex parte objecti, quod appetit. Ex parte motivi, quia humilitas ex reverentia divina subjicit se, et reputat se indignum omni honore quantum est ex parte sui defectus; superbia vero excutit a se divinam reverentiam, vel positive, et directe contemnendo Deum, quod est summum genus superbiæ, vel privative, tantum quando quis ad prosequendam excellentiam propriam subtrahit se a Deo non dando ei reverentiam, et honorem, sed sibi arrogando. Ex parte materiæ, quia humilitas respicit defectus proprios, superbia ambulat in magnis, et mirabilibus super se. Ex parte objecti, quia humilitas respicit propriam dejectionem quantum est ex parte suorum defectuum, superbia propriam celsitudinem non in hac, vel illa materia, sed in omnibus, et ita licet materialiter, seu ex parte materiæ remotæ videatur superbia generaliter includi in omni peccato, quatenus in eo invenitur aliquis contemptus Dei avertendo se ab ejus regula, et lege, tamen formaliter superbia est speciale peccatum ex parte sui motivi, quatenus intendit propriam excellentiam in quacum-

que materia, et ideo est vitium capitale, quia excellentia est multum appetibilis, et ita habet rationem finis propter quam multa possunt appeti, vel non recusari. Et habet pro subjecto voluntatem, quia non respicit solam excellentiam corporalem, sed etiam spiritualem, et universaliter omnem in quacumque materia, et ideo pertinere debet ad voluntatem, quæ est potentia spiritualis, et universalis, quatenus habet vim tendendi in res arduas per spem, et audaciam, etc. Et sic de superbia agit quæstione CLXII.

Quia vero in superbia habet specialem considerationem, sicut et gravitatem peccatum primi hominis, agit de illo hic D. Thomas. Voluit enim primus homo esse sicut Deus non in similitudine naturæ, sed in similitudine scientiæ, sicut Angelus in similitudine potestatis: Angelus enim ex sua natura erat plenus scientia, homo vero eam habebat infusam ex gratuita donatione non ex sua natura, et ideo Angelus non in scientia, sed in potestate, et majestate voluit esse similis Deo appetens sedere in monte testamenti quasi independentem, vel singulariter volens esse magnus. Homo vero voluit esse similis Deo in plenitudine scientiæ volens scire bonum, et malum sicut dii sine subjectione, et regulatione ad Deum. Et sic de superbia, et gravitate hujus peccati agit quæstione CLXIII.

De effectibus vero hujus peccati, id est, de pœnis ex illo secutis, ut de morte, exclusionem a paradiso, et aliis similibus, agit quæstione CLXIV. De causa vero hujus peccati, scilicet de tentatione, et modo atque ordine, quo gesta est, agit quæstione CLXV.

Secunda species modestiæ est studiositas, quæ refrænatur excessivum appetitum sciendi, seu curiositatem. Unde studiositas non versatur imme-

diate circa ipsam cognitionem, sed circa applicationem ad cognoscendum, quæ applicatio est actus voluntatis, qui dicitur usus, et ideo studiositas est in voluntate, tum propter actum quem refrænât, qui est applicatio voluntatis, tum propter amplitudinem materiæ, circa quam versatur, id est, circa applicationem ad cognoscendum, tum cognitione intellectiva tum sensitiva. Et quia moderatur appetitum seu applicationem cognoscendi, ideo est virtus moralis, et de illa agit quæstione CLXVI.

De opposito autem vitio, quod est curiositas, agit quæstione CLXVII. Importat autem inordinatum excessum circa applicationem voluntatis ad cognoscendum, unde oportet formalissime intelligere materiam hujus vitii, scilicet quod sit ordinata applicatio ad cognitionem in quantum cognitio; nam etiam luxuriosus, et gulosus quærunt inordinatum usum tactus quem sentimus, et cognoscimus, non tamen ad cognoscendum, sed ad delectandum, curiosus enim quærît sensibilia etiam si molestant quia solum quærît eorum cognitionem. Et ex radice discernitur delectatio curiosa a libidinosa, quod ista nascitur usu tangibilium ut delectant, illa ut præcise faciunt cognoscere.

Tertia species modestiæ est circa actiones, seu motus exteriores, sive seriosos, sive ludicos, circa quos versatur eutrapelia, et bona ordinatio, non quidem in ratione debiti, et honestatis sicut affabilitas, et veritas, quæ sunt partes justitiæ, sed secundum moderationem ut non excedat quis aut deficiat in his, quæ agit secundum compositionem, et decentiam externam etiam in recreatione ludicra. Et de his virtutibus, et superfluitate, ac defectu ludi agit quæstione CLXIX.

Quarta species modestiæ est circa

apparatum exteriorum in vestitu, et comitatu, et omni ornatu externo, de quo et vitiis oppositis, præsertim de superfluo ornatu in mulieribus, et cultu fucato agit quæstione CLXIX.

Ultimo, agit de præceptis temperantiæ, præsertim circa res venereas, et præceptis aliarum virtutum temperantiæ adjunctarum, quæstione CLXX.

#### DE SPECIALIBUS STATIBUS.

Post explicatas omnes virtutes, et vitia, quæ generaliter ad omnes homines pertinere possunt, agit ultimo loco de his, quæ specialiter ad aliquos status, vel condiciones homines pertinere possunt. Et non consideratur a theologo status ordinis politici, sed ordinis ecclesiastici, et christiani, qui a Spiritu Sancto descendunt dividente singulis prout vult. Has autem condiciones, et ministeria reducit Apostolus ad tria genera I ad Corinth. XII, ubi dicit: *Divisiones operationum, et divisiones ministrationum.* Ubi dicendo divisiones gratiarum, significat se loqui de gratiis gratis datis, quæ non dantur omnibus communiter, sed dividuntur aliquibus. Gratiæ autem gratis datæ dividuntur per tria genera, nam quædam pertinent ad cognitionem, ut prophetia, discretio spirituum, etc. Quædam pertinent ad locutionem, ut sermo sapientiæ, donum linguarum, etc. Quædam pertinent ad operationem, ut gratia sanctorum, et gratia virtutum. Circa voluntatem autem magis versatur gratia sanctificans, et charitas, quæ rectificat circa ultimum finem, quam gratia gratis data. Per divisiones autem operationum intelligit D. Thomas diversos modos vivendi sicut est vita activa, et contemplativa, quæ dicuntur diversæ vitæ,

quia diversis actionibus, seu operationibus exercentur. Per divisiones denique ministrationum intelligit diversos status, officia, et ministeria, quæ sunt in Ecclesia, sicut est status episcoporum, religiosorum, etc. Ex his enim omnibus componitur corpus mysticum Ecclesiæ.

#### GRATIÆ GRATIS DATÆ.

Et primo, incipit a divisionibus gratiarum, seu a gratiis gratis datis. In quibus secundum tria genera posita, primo occurrunt ea quæ pertinent ad cognitionem, et exigunt speciale lumen, quod sub lumine prophetico comprehenditur. Circa prophetiam autem primo considerantur ea quæ pertinent ad prophetiam secundum se, deinde quæ pertinent ad specialem quamdam perfectionem prophetiæ, quæ dicitur raptus. Circa prophetiam quatuor considerantur. Primo, ipsa essentia prophetiæ. Secundo, causa ejus. Tertio, medium, seu species quibus est. Quarto, divisiones ejus.

Circa primum, considerat essentiam prophetiæ, tum ex parte sui generis, quia pertinet ad cognitionem; tum ex parte differentiæ, quia pertinet ad revelationem divinam per modum transeuntis representantem, et manifestantem aliquid, et ex parte objecti materialis extendit se ad omne illud quod subjicitur divino lumini, præcipue tamen se extendit ad futura, seu longe distantia. Pertinet ad cognitionem prophetia formaliter, licet dispositiva ad voluntatem pertinere possit. Duplex enim, actio ex parte Dei, et passio ex parte nostra concurrat ad prophetiam. Una quasi antecedenter disponens, scilicet motio voluntatis qua elevetur intentio mentis ad percipiendam divinam, et hæc dicitur inspiratio, Job xxxii: *Inspiratio*

*Omnipotentis dat intelligentiam.* Alia est revelatio, quæ illustrat intellectum ut percipiat quæ sibi a Deo revelantur, ibi completur prophetia, quia ibi tollitur obscuritas ignorantiae formaliter, Job XII: *Qui revelat profunda de tenebris.* Hoc autem lumen non datur per modum habitus intellectui prophetæ sed per modum luminis transeuntis, qui datur dependenter ab inspiratione, et revelatione actuali, eo quod prophetia ordinatur ad cognoscendas res supernaturales, et nobis occultas non cognitio principiis in quibus continentur, eo quod propheta, non videt divinam essentiam, in qua talia objecta continentur, nec ad illius visionem potest continuari, sicut theologia nostra, et scientia infusa, sed potius visa divina essentia, prophetiæ evacuabuntur, prophetia enim videt res quasi in similitudine, et ænigmate, et a longe, in divina autem essentia omnia videntur in pleno lumine, et sic non potest propheta ex principiis in se permanenter, et habitualiter habitis cognitionem sui objecti deducere, ideoque dependet ab aliqua illustratione, sine manifestatione actualiter facta ab alio, qui illa principia videt, scilicet a Deo. Fides autem infunditur per modum habitus, quia non datur ad videndum rem aliquam ex vi alicujus principii, seu illustrationis, sed ad assentiendum testimonio dicentis, ideoque non est lumen pure intellectuale, quod radicem habeat in aliqua manifestatione suorum principiorum, sed est lumen intellectus, ut moti a voluntate, et in ipsa habet suum principium. Et sic agit de essentia prophetiæ, quæstione CLXXII.

Secundo, agit de causa prophetiæ efficiente. Et quidem respectu prophetiæ supernaturalis quantum ad infusionem luminis prophetici, immediata causa est Deus, licet quan-

tum ad propositionem objectorum, et dispositionem atque coordinationem specierum, tam ex parte imaginativæ, quam intellectus, mediantibus Angelis causetur prophetia, sicut unus Angelus illuminat alium. Prophetia autem naturalis, qua cognoscuntur aliqua futura in causis naturalibus, vel ex impressione dæmonum, non habet pro causa immediata Deum, et de hoc agit quæstione CLXXII.

Tertio, agit de medio, per quod lumen propheticum attingit objecta. Et hoc medium sunt species aliquæ creatæ seu similitudines quibus res prophetatæ repræsentantur, quæ aliquando infunduntur de novo a Deo, aliquando quæ sunt acquisitæ per sensus, novo et superiori modo coordinantur secundum quod requiritur ad habendum iudicium de illis rebus in quo iudicio completur actus propheticus. Nec requiritur alienatio a sensibus præsertim interioribus, sed prophetia ordinariæ fit cum conversione ad phantasmata, et de hoc agit quæstione CLXXIII.

Quarto, agit de divisionibus prophetiæ. Potest autem dividi prophetia, vel ex parte suæ rationis formalis essentialiter, vel ex parte sui objecti materialis, aut ex parte medii per quod fit representatio rei prophetatæ, secundum magis, vel minus abstractas, aut expressas similitudines, et duplex hæc divisio ultima, est accidentalis. Primo modo prophetia est unius speciei atomæ nec dividitur in alias species, quia ratio formalis est eadem, scilicet revelatio divina extra Verbum revelans, sicut etiam lumen revelationis fidei est unius tantum speciei, et sic dixit sanctus doctor supra, quæstione CLXXI, articulo III, ad tertium, quod prophetia habet unitatem specificam formaliter. Secundo modo dividitur prophetia in prophetiam

præscientiæ, et comminationis; nam prophetia præscientiæ respicit res, ut absolute faciendæ sunt: comminationis autem secundum ordinem conditionatum, et quantum est ex parte causarum inferiorum dispositarum ad ponendum effectum. Tertio modo distinguuntur tria genera prophetiæ, duo extrema quæ proprie non attingunt rationem prophetiæ, sed vel deficient ab illa, vel excedunt, et unum medium, quod est proprie prophetia. Primum extremum infimum, et imperfectum est quando aliquis agitur instinctu, aut inspiratione Dei, sed non accipit illustrationem supernaturalem, ut quando Samson fuit motus ad percutiendos Philisthæos. Aliud extremum est per excessum, quando aliquis accipit illustrationem tam perfectam, ut habet visionem pure intellectualem circa veritates supernaturales sine visione imaginaria citra visionem tamen divinæ essentiae, ut fortassis contingit in raptu, et pertinet ad excellentissimos prophetas, sicut ille qui dicit II Regum XXIII: *Mihi locutus est fortis Israel, sicut lux auroræ mane absque nubibus rutilat.* Ubi ex parte luminis ponitur claritas non sicut solis, qualis est visio essentiae divinæ, sed inferior ad illam, sicut lux auroræ quæ tamen excedit noctem, et obscuritatem fidei: ex parte autem ejus quod videtur, ponitur evacuatio nubium, id est, phantasmatum corporalium. Medium autem genus prophetiæ est quando aliquid revelatur, cum corporali, vel imaginaria visione, hæc enim involvit intelligibilem veritatem velamine aliquo, vel obscuritate ex parte rei visæ, quasi lux inter nubes, et hoc pertinet proprie ad prophetiam, dicitur enim II Petri I 19: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, ubi caligo prophetiæ*

non ponitur ex parte luminis seu lucernæ, sed ex parte rei visæ seu medii in caliginoso loco, et quasi inter nubes. Et in hoc genere prophetiæ sunt diversi gradus, quia aliquando revelatur aliquid, cum signo corporali externo sicut olla succensa, et virga vigilans, Hieremiæ I. Aliquando in sola visione imaginaria aliquid auditur, vel videtur, et quanto expressius, tanto est altior gradus, ut si quis videat vigilando, perfectius est, quam dormiendo. Et iterum si vigilando videat personam sibi loquentem, vel in specie Angeli, vel in specie Dei, tunc enim est signum, quod magis appropinquat ad causam prophetiæ. De his ergo divisionibus prophetiæ, et quomodo nulla earum conveniat beatis, quia in ipso Deo immediate omnia vident, agit quæstione CLXXIV.

Post prophetiam agit de raptu, qui non importat distinctum lumen a prophetico, sed modum specialem, scilicet quod fiat modo quodam elevante cognitionem a suo connaturali modo, qui est per conversionem ad sensus, raptus autem alienat a sensibus ad percipienda divina, quando est raptus supernaturalis, licet aliquando fiat alienatio a sensibus etiam per causas naturales, ut in arreptitiis. Raptus ergo importat hunc modum excedentem connaturalem modum cognitionis, et ita fit cum quadam violentia abstrahente intellectum a connaturali modo cognoscendi, quæ violentia non competit voluntati, quando excessive fertur in rem amatam per extasim, quia totum hoc fit per amorem, et voluntariam inclinationem. Et de hoc agit quæstione CLXXV.

Secunda gratia gratis data est donum linguarum, quod quantum ad substantiam aliquid naturale est, scilicet diversa idiomata scire, quoad modum autem potest esse super-

naturale, vel quia infunditur a Deo, et non acquiritur, sicut aliæ scientiæ naturales possunt per accidens infundi, vel quia loquendo propria lingua fit divinitus, ut intelligatur aliquis ab hominibus alterius linguae; convenientius autem fit, priori modo, ut etiam ille, qui loquitur possit alios loquentes suis linguis intelligere. Et de hoc agit quæstione CLXXVI.

Tertia gratia gratis data est gratia sermonis, id est, quod aliquis habeat efficaciam in persuadendo, tum quoad instructionem intellectus audientis, tum quoad movendum affectum, ut libenter audiat, et amet ea quæ proponuntur. Ad quod non requiritur superaddi novum habitum cognoscitivum, sed solum sic moveri a Deo hominem in loquendo, quod bene proponat, et audiatur, et sic persuadeat. Et de hoc agit quæstione CLXXVII.

Quarta gratia gratis data est gratia miraculorum quæ etiam appellatur operatio virtutum, et sub ea continetur gratia sanitatum, quia etiam miraculose sanat. Ad faciendum autem miracula non datur homini aliqua potestas habitualis, quia nulla potestas creata per modum causæ principalis, et ad suum libitum potest operari supra totum communem cursum naturæ immutando res ipsas, sed Deus utitur tamquam instrumento, aliquo actu interiori, vel exteriori hominis ad faciendas tales immutationes ad confirmationem fidei, et utilitatem Ecclesiæ, et de hoc agit quæstione CLXXVIII.

#### DIVISIONES OPERATIONUM.

Post divisiones gratiarum quæ sunt gratis datæ, sequuntur divisiones operationum secundum quas homines vivunt, et ideo generaliter reducuntur ad illam duplicem vi-